

EPITHALA =
MIA ET CARMINA GRATV

latoria, in honorem nuptiarū egregij & præ-
stantis viri Iohannis Dreheri, Et ho-
nestis: virginis Dorothee, Domi:
Thomæ AmEndt Consu-
lis Lobauiensis vigi-
lantissimi filix.

A diuersis authoribus scripta.

VIENNAE AVSTRIAE

EXCVDEBAT RAPHAEL

HOFFHALTER.

ANNO M. D. LIX.



JOHANNES DREHER.

GRATIA DEI COMITANTE.



*Dic mihi: fulmineo quid nam manus ense minatur?
FATA. quibus? Domino qui nocuisse voluit.*
IOANNES DREHER.

INSIGNI VIR- TVTE ET HVMANITA-

te præstanti Iohanni Drehero
amico suo optimo s. d.

QVOTIESCVNQUE OPTIME IO-
hannes considero quanta & quam multa pa-
rentis tui **BLASII DREHER** i piæ memoriæ viri in-
tegrissimi (qui de communi nostra patria & bonis
literis ac studiosis sæpe præclarè meritus est) non
tam erga me quam meos singularis benevolentia &
amoris extent signa & testimonia, Tu etiam quam
arctissimo necessitudinis uinculo ab incunte æta-
te, & presertim Viennæ Austriæ ad multos annos
mihi deuinctus fueris, vnà cum fratre tuo Dauide
sumæ spei adolescente: Non possum non eniti quin
tibi vicissim aliqua in re gratificer, ne uel ingrati-
tudinis aut nescio cuius insolentia notam meritò mihi
inuri patiar. Iam uero cum ante aliquot septima-
nas ad me literas, plenas officij & humanitatis, de-
didisses & inter reliqua tibi honestiss: puellam Domi-
ni Thomæ AmEndt qui Consulis officio summa cum
laude in patria fungitur desponsatam esse intelli-
gerem, simulq; ut nuptijs celebrandis interesssem, & pa-
triam ac cognatos aliquando inuiserem amice inui-
tares, Ego autem mihi iter hoc tempore præclusum
propter publica officia cernerem, ne omnino tibi de-
fuisse uidear, Author sui doctiss: quibusdam uiris
& amicis optimis, qui tibi & mihi hætenus fuerunt

A ij con-

coniunctissimi, vt carmine aliquo nuptias tuas or-
narent. Id cum, memores veteris amicitiae, praestitif-
sent libenter & promptissimo animo, non putavi
tibi ingratum futurum si typis ea committerentur.
Subiunxi & ego pro temporis angustia exiguum
carmen, ea potissimum de causa vt aliqua sal-
tem prompti animi significatione testarer, tua in me
officia, summam benevolentiam & consuetudinem
mihi & gratissimam & iucundissimam semper fuisse.
Rogo igitur vt qualemcumq; hanc nostram operam,
& studium reliquorum, qui tibi ex animo gratulan-
tur & optima quaeq; precantur, eo candore quo pro-
fecta sunt accipias & aequi boniq; consulas. Deus
opt: max: pro immensa sua misericordia & bonitate
faxit, vt institutum hoc tuum pium & honestum ad
Ecclesiae salutem, patriae incrementum, & tui ac
proximi commodum cedat. Socerum tuum virum
optimum, sponfam animi tui dimidium, meos cogna-
tos & omnes qui nobis olim fuerunt & procul du-
bio adhuc sunt amicissimi, meo & Domini Doct.
Fabricij Cæsaris & Archiducum Austriae Mathe-
matici nomine salutare non dedignaberis, Inprimis
dominum M. Casparum Path: M. Hieronymum
Nostitzium, Dominum Iohannem Fridlandt, &
M: Martinum Cratandrum. Vale. Viennae Au-
striae Anno M. D. LIX. octavo calend: Septemb:

Tui studiosiss:

M. Hieronymus Lauterbachius
Mathematicum Profes-
sor Ordinarius.

EXIMIA VIRTUTE IUVEN-

ni Iohanni Drehero amico suo singu-

lari, S. D. PAVLVS FABRICIVS

Medicinæ Doctor Cæs:

Mathematicus.

Ergo ego foelicem te libertate relicta
Audio coniugij carcere Iane capi?
Gratuler an doleam? certe tibi gratulor, ista
Vincula in mundi carceris instar erunt.
Sint bona legitimi sint commoda foedera lecti,
In thalamos ueniat casta puella tuos.
Quæq; tibi curas socio ceu pondere pressa
Leniat, & cupido pectore semper amet.
Quæ tibi foecundis stirpemq; nepotibus ornet
Coniugij debet finis hic esse tibi.
Trinus at ipse Deus foelicibus omnia satis
Tempora coniugij currere læta sinat.

A iij ELE-

ELEGIA DE CONIVGIO

scripta in nuptias Iohannis Dreheri, ab Elia
Coruino Ioachimico Poeta Laureato.

Labe carens genitor dum lustra pererrat *Adamsus,*
Et probat *Authoris* splendida facta sui:
Adiunctam nutu supero sibi prospicit *Enam,*
Ante creatorum quam probat omne genus.
Agnatam proprii sensit quia corporis illam,
Eg viri membris nata virago fuit.
Hæc benefida latus (nam prodijt inde) frequens est,
Quoslibet in casus læta subire comes.
Dulcis læticiæ, dum res stetit integra, *confors,*
Confors tristitiæ læta sequentis erat.
Mens eadem geminis, amor vnus, & æqua voluntas,
Diuersi gemina carne, sed vna caro.
Indidit hunc seruis natura nepotibus ignem,
Connubij sanxit dum sacra vincla Deo.
Primus vt ille parens, sociali iunctus amore
Sustulit è casto pignora grata thoro:
Vnde propago hominum tulit incrementa, *Dei*q;
Propagatus honos relligione fuit.
Sic gens legitimos producat postera nexus,
Hinc vt vita homini surgat honorq; Deo.
Æclices igitur cœlestia iussa secuti
Coniugij sacrum qui coluere thorum.
Illis castus *Hymen* *Diuorum* gaudia præbet,
Ipse auctor thalami protegit, ornat, amat.
Illis diræ etiam pia sunt solatia curæ,
Impolluti agitur nobile tempus *Adæ.*
Numine præsentis qui talia fœdera sanxit,
Imposita lasiis sub cruce dexter adest.

EPITHALAMION IN NV-

ptias ornatiss: viri Iohannis Dreheri, & pu-
dicissimę virginis Dorotheę, Thomę

Am Ende consulis in Lobau

filix, Authore Iona Her-
manno Gorlicense.

FOelix o nimium scelix, infixa supremi
Pectore qui toto iussa parentis habet.

Cuius & oblectat legum meditatio mentem

Herens in solo speq; fideq; Deo.

Subdola non metuit vanę mendacia lingua;

Invidus & nulla parte nocere potest.

Insidias Stygij contemnit & ille Tyranni;

Addictis soli quas struit usq; Deo.

Adde quod hunc summi benedictio larga parentis

Cum tota maneat quam tenet ille domo.

Vtq; ferax patulam viuis compl. Etitur vltimum

Addit & vusurum fertilitate decus:

Multiplici consors tua sic fecunda beatam

Reddet, & auget prole decente domum.

Ista tuas mentes cinget, ceu consita ramis

Frondet in Argolico pinguis oliua solo.

Psalmographus thalami canit hæc præconia, multis

Hæc & ubiq; probat pagina sacra locis.

Cui proba, labe caven: contingit & vxor honesta:

Maxima diuini signa fauoris habet.

Possidet ille bonum fuluo pretiosius auro,

Et quasq; tenet circulus orbis opes.

Famini

*Fœmina cœlarum nutantem mole maritum
Recreat, inq; malis mite lenamen adest.
Fœmina blanditijs accensas mitigat iras,
Hæc minuit luctus, moestaq; corda leuat.
Fœmina quæ rectè tractare domestica nouit,
Seruat, alitq; sua sedulitate domum.
Fœmina casta viri decus est, & lumen, vt orto
Et coeli & terræ machina, sole, nitet
Turpe quidem dictu, sed quam lachrimabile nunc est
Tempus, & in peius cuncta creata ruunt:
Quoq; furore fremunt reges Acherontis, vt omne
Humanum raptent in sua regna genus:
Difficilis nec honesta potest subsistere vita
Quæ renuit thalami subdere colla iugo.
Scilicet in toto quæ possunt orbe referrî
Gaudia, coniugij si bona demis, emis.*

*Ipse, tulit thalami leges, thalamumq; iugalem,
Esse ratas propria iussit & ore, DEVS.
Omnibus exactis, ipso formante, virili
Ex costa coniunx condita quando fuit.
Quando solum iussit numerosa prole repleta
Ne culi ore suo tradita regna uacent.*

*Virgo Maria, dedit Christum quoq; uirgo sub auras,
Vineta tamenthalami legibus illa fuit.
Coniugij Christus festum cum matre frequentat
Mollis vt in prestans vertitur vnda merum.
Coniugibus semper sic se coniungit amicis
Sic graue coniugij lenit & ipse malum.
Quis sit in humanum tanti genus ardor amoris
Christi, Coniugium symbola certa gerit.*

Pulchra, carens maculis sponsa est Ecclesia Christi.

Hanc fouet, hanc sacri flaminis igne regit.

Atq; quod in natos incendia tanta parentes

Cordis alant, Christi solius est id opus.

Scilicet vt doceant presentia signa, per ipsum

Vnica quod simus curaq; amorq; Dei.

Rursus & vt nati venerantur honore parente,

Vult Deus æterna sic pietate coli.

Cogitur at quamuis Sathanæ tot tela, tot hostes,

Tot mala, tot clades, tam sacer ordo pati:

Inq; mari iam iam velut absorbenda procellis

Ventorum furijs fluctuat acta ratis:

Tanta mali facies, tot mille pericula cunctos

Coniugij subeunt qui pia vincla, manent.

Non tamen hæc thalami tollunt incommoda leges:

Casta sed augentur vota fidesq; malis.

Plurima perueniunt quoq; damna, volentibus ipsis

Coniugibus, spernunt dogmata quando Dei.

Nos igitur sancti doceant exempla Thobie

Auspice tam sacrum foedus inire Deo.

Hic dabit vt cœpti nunquam soluantur amores.

Hic dabit in duplici carne sit vna caro.

Hic dabit vt constans mens vnica, sensus & idem

Perpetua durent constabilita fide.

Deniq; in hoc solo confisus firmiter, æni

Huius & æterni præmia larga feret.

Hæc quoq; Lusatiæ non infima fama Iohannes

Qui sera cognomen fata minantis habes.

Hæc tibi conditio placuit sanctissima vitæ,

Gestis in hac æni claudere morte dies.

Ergo quod ingenuam sis nactus sponse puellam,
In tacito tecum gaudia conde sinu.
Accipe nunc toto quod pectore saepe petisti:
Accipe carminibus dona relata meis.
Digna datur certè præclaro nomine virgo.
Digna datur multis aucta puella bonis.
Consulis illius genitor moderatur habenas,
Clarumq; in patria sustinet vrbe decus.
Instituit teneris hanc sedula mater ab annis
Quæ via cælestem sit timuisse patrem.
Docta gerendarum tractare negotia rerum,
Doctaq; solerti stamina nere manu.
Hanc ornat morum veneranda modestia, castus
Et qui purpureo fulget in ore pudor.

Tu quoq; quod talem sis nacta puella maritum,
In tacito tecum gaudia conde sinu.
Omnis in hoc solo tibi stet Dorothea Iohanne
Cura sit hic animi dosq; decusq; tui.
Osibus igne tuo totis male saucius ardet,
Sicut ad accensos pinea tæda focos.
Clara ne virtutum, vel morum dicere laudes
Ingenij dotes an celebrare inuet?
At teneris Christum, doctasq; sequutus es artes,
Præ monstrante tuo sic genitore viam.
Leucoream subito tendis studiosus ad urbem
Ora Melanthonij docta videre senis
Clarag; te multis Academia fouit ab annis
Marchiacos Viadri qua rigat amnis agros.
Ergo tot ingenij præclaris dotibus aucta
Pectora, Castalijs lauit Apollo uadis.

Voluis

Voluit ubi rapidus flauentes Ister arenas,
Exerit & clarum magna Vienna caput:
Hic tibi iudicij Ferdnandus munera Caesar
Contulit, hic Triton ceu regis, alter aquas
Hoc quia, nec curis motus, nec mole laborum,
Suceptum vigili mente tueris onus:
Facta tua illustras clari virtute parentis
Quæ patriæ & Regi prestitit vsq; suo.
Talibus officijs commotus Caesar, honore
Ornauit patrem, teq; tuosq; nouo.
Splendida nam vestrae tribuens insignia stirpi,
Patricios inter iussit habere locum.

Restat ut in patris uestigia clara ferar'
Auxilio patriam consilioq; iuues:
Restat ut in thalamos abducta virgine, foelix
Gaudia mille feras, commoda mille feras.
Ibis in amplexus Dorothea docte Iohannes
Ibit in amplexus & Dorothea tuos.
Mutua pupureis figantur & oscula labris,
Iam sunt concessis omnia plena iocis.

Qua propter pactæ ueniant cum tempora tædæ
Gratulor, & captis omnia fausta precor.
Carmina quinetiam votis communibus addam,
Carmina quæ saltem uota referre decet.
Ut Deus omnipotens cui vincla in alia cura
Concedat castis omnia dextra thoris.
Mittat & angelicos, fidissima turba, ministros
Ut nexu firmo corpora uestra ligent
Quem neq; fortuna, Stygij neq; tela Tyranni
Quam fera, sed serò, soluere fata queant

*Viuite concordēs aternis nexibus ambo,
Duret & ad finem certa tenaxq̄ fides.
Viuite coniugij foelices carpite fructus
Condecorent vestrum pignora multa torum.
Sic illustrabit series numerosa nepotum
Nobile perpetua posteritate genus.*

DISTICHON NUMERVM
Anni & diem Mensis nuptiarum
comprehendens.

EXierant ortvs **Septe** MbrIs **qV** InqVe **V**igIntI
AVXIt Iohannis **Vt** Dorothea thoros.

ELEGIA GRATVLATORIA
in easdem nuptias, scripta à Dio-
nyfio Puclero.

Ipsa parens rerum concordi corpora lege
Et simili nexu quod fouet omne, regit.
Totaq; consensu moles mundana cohæret
Atq; pari gaudent condita cuncta suo.
Vis similis quoq; per binos animalia sexus
Nectit vt hæc sociæ mutuus vrat amor.
Ast hominem maior constri ingit nexus, cumq;
Gressibus errantem non sinit ire vagis.
Nexus hic à prima mox coepit origine mundi
Diuina fuerat factus & ille manu.
Quo pater humanam voluit coniungere vitam
Esset vt in certos consociata gradus.
Quoq; sui castum statuit retinere timorem
Ne quouis nulla lege feratur homo.
Quo terram voluit multis implere colonis
Per quos diuinus glorificetur honos.

Felix ergo Deo quisquis parere iubenti
Ac sub præceptum maluit ire iugum.
Quàm præferre vagæ conterræ turpia vitæ
Prætextuq; tori cœlibis illa sequi.
Namq; Deus thalamis vult præsto iugalibus esse
Et gratam tristi tempore mittit opem.
Exornatq; piâs diuino munere tædas
Dum socij coeptum sospitat omne tori.
Quid mage incundum socialis fœdere dextræ
Per miserum vitæ dum properamus iter?

Nonne foret demens comitem si spernat amicum
Qui parat immensam solus adire viam!
Coniugij Deus est custos, protector & autor,
Coniugij Deus est nomine natus homo.

Tu modo Ioannes socij dum vincula lecti
Contrahis, optato iam potiare bono.
Et licit is tempus iam postulat vrere flammis
Ac sociam grata prole repleto domum.
Nam Deus est vestri custos & tutor amoris
Demet is ex casto tristia quæq; toro.
Hic abiget rigidas odiorum semen Erinnes,
Ne Stygijs possit fraudibus esse locus.
Sed fluat ut vobis laetis fortuna quadrigis
Et maneat stabili firma tenaxq; gradu.
Vnanimes igitur concordi viuite nexu
Et simili semper sit is amore pares.

AD

AD FACES NVPTIALES, E-
iusdem Sponsi, Encomium Matrimonij,
authore Ioanne Hebero artium li-
beralium Magistro.

Non hic materiam ridendi præbeo lector
Nec recitant turpes carmina nostra iocos.

Sunt etenim sacris hæc eruta scripta libellis

Quæ scio Coniugibus grata futura pijs.

Hic ego legitimi describam commoda lecti

Coniugij laudes & recitabo sacri.

Huc igitur venias, fieri quicumq; maritus

Expetis inuenies digna favore tuo.

Cui Deus uxorem concessit habere fidèlem

Possidet is summum diues in orbe bonum.

Plasmate scemineo quoniam moderator Olympi

Pulchrius in terris non fabricauit opus.

At non coniugium sancti instituerè Prophetæ,

Non homo sed mundi conditor ipse Deus.

Ergo genus vitæ quicumq; amplectitur illud

Officium dignum religionè facit.

Hunc super est domini benedictio larga futura

Huius erit plenum prosperitatùs iter.

Mens erit huic recti sibi conscia, dum modo Christusque

Diligit, incestas & fugit ille faces.

Vxor thesaurus semper reuerenter habendus

Exhilarat mentem casta marita tuam.

Hæc tibi in aduersis præbet solatia rebus

Et totam vitam sedulitate iuuat.

Vxor sola tibi constans & amica fidelis

Adiacet hæc lateri lege iubentis tuo.

Et contra vetitos sola est medicamen amores,
Dum figit charo basia grata viro.
Insuper est larium vigilans ad limina custos,
Inuigilat partis nempe labore bonis.
Hæc erit ægroto medicus, Galenus & alter
Et tibi consilium sæpe fidele dabit.
Hæc quoq; formosa faciet te prole parentem
Et genus augebit, si volet ipse Deus.
Tollet & ingentes è tristi pectore curas
Quæ semel est thalami conscia facta tui
Deniq; quid multis, quæ non bona possidet ille
Cui Deus vxorem favit habere probam.
Ille mihi certè præ multis esse beatus
Creditur, est vxor cui prohibat is amans:
Non est thesaurus sub terris ditior vllus
Nec quiddam totus grandius orbis habet.
Quam mulier pia, casta, nitens taciturna, fidelis,
Constans, & nullis ingeniosa dolis.
Estq; voluptati mulier studiosa marito
Quæ totam curis fulcit alitq; domum.
Coniugium spernit formam, bona, diuitiasq;
Quæ bene morata est, hæc opulenta satis.
Hæc satis est diues, satis est formosa puella
Quæ datur ille se dote pudicitie.
Vxorem talem quicumq; inuenerit ergo
Sedibus æthereis hanc sebi adesse putet.
Et melior castis accedit fama maritis
Et minor in toto corpore morbus erit.
Vtq; suam mensam frugalem is semper habeat,
Sic habet & proprium pacificale domi.
Errat, & obscuris tanq; versatur in vmbri
Hospes vbi magna est, coniuge casta domus.

Extra

Extra coniugium pauci sine crimine viuunt.
Nam stimulat cunctos prona libido viros.
Præcipue Iuuenis rabido furiosus amore
Concupit illicitas, & sine mente faces.
Negligit interea summi præcepta Tonantis
Dum fouet inæstis membra libidinibus.
Nam quicumq; vacant Baccho, Venerisq; sequuntur
Cæstra, Dei veri non meminisse queunt.
Non bene cum casto, stabit Venus improba Christo
Non bene cum superis ebria turba choris.
Tempore qui vero factus suadente maritus
Huic sepe orandi tempus & hora datur.
Et ne desidia corpus marcescat incerti
Quod faciat semper quodq; laboret, habet.
Exercere fidem discas cum coniuge chara
Si eueniant votis fata sinistra tuis.
Et ne diuitias profundas turpiter omnes
Te coniunx parcum reddet amica virum.

Ergo cum tot sint vna cum coniuge dotes
Quis non infelix, esse maritus amet.
Malo ego rideri, sim qualiscunq; maritus,
Dum mihi coniugium commoda tanta parit.
Quam procius ad Domina noctu vigilare cubile
Atq; pati, que non sunt patienda vino.
Ac dicant, quicumq; velint me errare profecto
Vtilis est error dum tamen ille mihi.
Ipse etiam duxi, pulchram castamq; maritam
Quam mihi propitius seruet alatq; Deus.
Hanc habeo vitæ, lecti sociamq; iugalis
Huius cum Christo, solus & vnus ero.

Desine iam tandem moneo formosa iuuentus
Furtiuos ignes concubitusq; sequi.
Nam Deus est scelerum vindex, virtutis amator
Premia dat iustis Tartara seua malis.

Qui non lasciuam Venorem didicere domare
Discant hic vitæ regulam habere suæ.
Vnius est melius nam coniugis esse maritum,
Quam scortorum ingens agmen habere domi.
Hoc faciunt Turcæ, quibus est reuerentia nulla
Coniugij, verum quos latet esse Deum.
Non sic Christicolam decet insanire iuuentas,
Sed famæ atq; animæ consuluisse suæ.
Propter adulterium Sodomitica moenia flagent
Hoc ob peccatum Troia superba ruit.
Propter adulterium Romanis exulat oris
Quondam Tarquinij regia progenies.

Idem Heberus ad Sponsam,

Candor, amorq; tuus, nec non tua splendida virtus
Extorsere meum, quod modo carmen habes
Hoc fruiere, atq; mei multos memor esto per annos
Cumq; tua Sponsa vine, diuq; vale.
Corporibus posthac mens vna sit opto duobus
Sint vobis presto Gratia & alma Venus.

IN HONOREM NVPTIA-
rum Iohannis Dreheri, Magister Hie-
ronymus Lauterbachius.

Cum sit coniugij Deus instaurator & author
Legitimi sanxit qui pia iura thori,
Quis, nisi mentis inops, castum contemnet amorem?
Quem natura probat, quem probat ipse Deus.
Foedera coniugij quicumq; iugalia spernunt
Corda gerunt rigidis horridiora Getis.
Perpetuo miseram traducunt tempore vitam
Pro meritisq; ferunt pramia digna suis.
Tempora praesentis foelicia transigit aui
Et merito vitae gaudia plena capit,
Cui Deus uxorem concedit labe carentem
Quae veram iungit cum pietate fidem.
Oppressum releuat curarum mole maritum
Solatur verbis pectora moesta viri.
Instituit charos, dulcissima pignora, natos
Et summa curat sedulitate domum.

Sponse tibi talis dum iam quoq; ducitur vxor,
Ac venit in thalamo virgo pudica tuos.
O te felicem nimium, te iure beatum
Connubij optati commoda quanta feres?
Diuino vestras qui iunxit numine dextras
Auspicio iungat pectora vestra suo.
Viuite felices, concordii viuite nexu
Crescentem pulchra prole replete domum.
Sint procul à vobis lites, fera iurgia cedant
Concordes animos seruat alitq; Deus.

ARNOLDVS LAVRENTIA-
nus Flander, Poeta Laureatus & Canoni-
cus Pofonienfis, etc. ad Chariffimum fuum
Dauidem Dreher, Hexapolita-
num Lobauienfem.

Dum geris egregij præſtantia munia fratris,
Ad rapidas Iſtri Caſareanus aquas,
Vnicus ille, tuæ qui portus & aura ſalutis
Eſt Deus, immemorem non finit eſſe ſui:
Annuit ille tuæ foelicia ſydera ſtirpi,
Sydera vel medio candidiora die.
Fratris vt in thalamum caſtiſſima ducitur vxor,
(Ipfius tacitæ quod voluere preces)
Cui Venus eximium formæ decus, ipſaq; Pallas
Pectus, diuitias Regia Iuno dedit.
Vt tibi, (quod meruere tuæ præconia famæ)
Virtutiq; tuæ conciliatur honor:
Qui, velut exiguo ducit primordia fonte,
Poſt tamen in largas funditur amnis aquas.
Sic quoq; dum vincet fortis conſtantia pectus,
Candidior ſemper, candidiorq; fluet.
Viuite concordēs æterno foedere fratres,
Hinc vt i res veſtræ conuenienter eant.
Vnicus ille Deus, veſtræ indubitata ſalutis
Anchora, qui dedit hæc, poſt meliora dabit.

AD SIMBOLVM ET NO-
MEN DAVIDIS DREHERI,
Refugium meum Deus

Dum me cognosco peccati mole grauari
Angor, & immensus me tenet vsq; dolor
Vincere non possum peccatum, vincor ab illo
In terra, nemo me releuare potest.
Delictum tibi Christe meum, mea lingua fatetur
In te confido, tu mihi portus eris.
Da mihi ne labar magis ô Deus optime, quaeso
Rectifica mentem, nil malè agendo meam.
Et sine te nemo saluus, vereq; beatus,
Heret .n. in nostro corpore multa lues.
Esto meæ vitæ protectio, nam fugio ad te
Rex regum, cunctis eripe meq; malis.

M. Ioannes Heberus,
amicitiæ ergo,

C iij IN

IN INSIGNIA FAMILIAE
Dreherorum. Carmen Ionæ
Hermanni.

Hoc insigne sua peperit virtute Dreherus
Blasius, in patriam dum pius vsq; fuit.
Filius officijs Ioannes addidit ingens
Huic decus, ut præses Cæsareanus erat.
Munere Dauides qui fungitur alter eodem
Non fuit hoc meritis nomen obire suis.
Immortale sibi sic fratrum quisq; relinquat
Nomen, & illustret dexteritate genus.
Non omnino caret tamen hæc pictura figuris,
Conueniens stirpi nomen & omèn habet.
Aspicias Æthiopsis toruos in imagine vultus
Dextera fulmineo quod fremat ense manus
Scilicet, infernis canibus data præda, malignus
Vindicis horrendo corruet ense Dei.
Ferreæ crudeles contundet virga Tyrannos
Quos iuuat in Christi bella mouere gregem.
Vtq; rapax ignis magnas cum turribus vrbes
Vastat, & ingentes depopulatur agros:
Sic Deus, illuue scelerum commotus, in omnes
Ignibus æternis qui meruere, furit.
Deniq; summa dies cum tandem venerit orbi,
Omniaq; in priscum sunt ruitura chaos.
Gaudia mille ferent, æterna pace fruuntur
Qui gessere pia pectora plena fide.

IN

Epigramma

IN SIMBOLVM EGRESSII
& eruditi Iuuenis Dauidis
Dreheri.

R erum summe fator, qui trino numine mundu M
E t regis, & solita cuncta tueris op E.
F ata tuo dextrè succedunt omnia nut V
V itaq; habet nullum te nisi nostra duce M.
G audia seu luctus, rerumq; pericula, quicqui D
I nferet aut dubio lubrica Diua ped E:
V na tuo fieri spes est tamen omnia iuss V,
M ortuus aut viuens sum pie Christe tue S.

Aliud.

*Firma mee solus cum sis ô Christe salutis
Anchora, tu vitæ dirige fata mee.*

Jonas Hermannus Gorli-
cens: amicitiae perpetuae
ergo faciebat:

FINIS.

